



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 12. Licet-ne aliquid exigere pro administratione Sacramentorum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramentis. Cap. VII. 49

operantis, sed etiam illius gratia, quam Sacramenta conferunt ex virtute recepta à Passione Christi, quam Theologi vocant *Ex opere operato*; ut enim ait Divus Thomas, *Quamvis Baptismus ut Passio Christi qua in eo operatur, quantum est de se aequalis respectum ad omnes habeat: quia tamen quidam ad Baptismum cum majori preparatione fidei & devotionis accedunt aliis, ideo quidam aliis majorem gratiam consequuntur.* Hoc autem intelligi debet de gratia quam Theologi vocant *opus operatum*, quæ provenit ex virtute quæ est in Sacramentis per Passionem Christi; cum ex Divo Thoma hæc virtus nobis communicetur juxta dispositionem, cum qua recipimus Sacramenta.

*Quest. 12. Licet-ne aliquid exigere pro administratione Sacramentorum?*

*Resp. Illud prohibitum est omni Jure divino & humano, veraque est simonia, quam Dominus noster Jesus-Christus expressè prohibuit, cum dixit Ministris suis, Grati accipistis, gratis date. Hinc Concilium Triburienſe relatum in Canone, ait: Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione Chris-  
matis nummos dari, similiter pro Baptismo & Communionem. Hoc simoniaca hæresis semen detestata est sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro Chrismate, vel Baptismo, vel pro Balsamo, nec pro sepultura vel Communionem quidpiam exigatur, statuit: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.*

Concilium Generale Lateranense relatum in Canone, ait: *Cum in Ecclesia corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis*

Tomus III.

C

D. Tho. 4.  
sent. dist. 4.  
q. 2. art. 3.  
quæstiuncula  
2. in resp. ad  
2.

Matth. 10.  
v. 8.

Can. Dictum.  
1. q. 1.

Can. Cum in  
Ecclesie. De  
Simonia.

receptum est, gratis impendi: horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis, in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non attendentes, quod tantò graviora sunt crimina, quantò diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis, aliquid exigatur districtiùs prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.

Conc. Aquen-  
se tit. de Sa-  
eram. ann.  
1585.

Id ipsum variis temporibus ab aliis Conciliis damnatum est, sic enim loquitur Concilium Aquense. Illud præterea diligenter caveant, ne pro illis administrandis ab ullo, vel omnium rerum inope Sacerdote, verbis aut etiam signis quicquam prorsus vel minimum quovis modo petatur, exigaturve. . . . Quod si quis contra fecerit, is graviter ab Episcopo, pro culpa ratione, puniatur non avaritia tantum labe notatus, sed etiam simoniaca pravitate reus.

Rituale Rom.

Denique Rituale Rom. de iis quæ in Sacramentorum administr. generaliter observanda sunt. Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid, quavis de causa vel occasione, directè vel indi-

*De Sacramentis. Cap. VII. 51*

*rectè exigat aut petat ; sed ea gratis ministraret , & ab omni simonia atque avaritia suspicione , nedum crimine longissimè absit. Si quid verò nomine eleemosynæ , aut devotionis studio , peracto jam Sacramento , spontè à fidelibus offeratur , id licitè pro consuetudine locorum accipere poterit , nisi aliter Episcopo videatur.*

